

M A R I A  
V I R G O

S I N E

MACULA CONCEPTA  
FERDINANDO III,  
Romanorum Imperatori

7 N

S P E C V L O

R E P R Æ S E N T A T A

Octavo diē Decembris.

Quo

Antiquissima & Celeberrima  
UNIVERSITAS VIENNENSIS

F E S T I V M


IMMACULATE CONCEPTÆ  
V I R G I N I S

Solenni ritu in Basilicâ D. Stephani celebrabat.

O R A T O R E

GOTTHVLPHO KHVEFFSTAIN, Societatis I E S U  
Religioso, ex Cæsareo & Academico eiusdem Soc: Collegio,

Vienna: Austria, Typis Matthæi Cosmerovij, S. C. M. Typ. Anno Salutis 1651.





SERENISSIMO

**L**EOPOLDO

**I**GNATIO

ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c.

INCLYTA FACULTAS

THEOLOGICA

Antiquissimæ, ac Celeberrimæ  
UNIVERSITATIS VIENNENSIS

Felicitatem.



*I*bi Marianum hoc Speculum  
debeatur, SERENISSIME ARCHI-  
DUX LEOPOLDE IGNATI: ut  
dum in spes maximas Orbi adolescens, vi-  
vam in illo Maiorum tuorum expressam videres effigiem,  
ad quam & tuam pergeres efformare, illis aliquando  
Virtute, & Gloria non futurus minor, ubi in Virginem  
amore non fueris impar. Nunquam enim non Gloriosi,  
Austriæ fuere LEOPOLDI, dum fuerunt Pij.  
D. LEOPOLDO Austriæ Marchioni, Pij nomen,  
addidit, & Felicis. LEOPOLDO Augustissimi

*Aui. tui Germano, dignam Coronis prolem tulit,  
Pietas ad omnia utilis. LEOPOLDO Belgarum  
delitio, Triumphales nequit Laurus cum Pietate  
Timor Domini. Nec iam aliud, nisi summa quæq;  
in te expectat Orbis, Augustissimo nato Parente, qui  
Regnorum suorum, Pietatem statuit fundamentum.  
Et hoc omnium nostrum votum est SERENISSIME  
ARCHIDUX, ut Maiorum tuorum Gloriam, ali-  
quando augeas tua, Triumphos, cumules Victorijs,  
Heroa eorum facinora, propriâ illustres Virtute, atq;  
sic demum DOMINI AVSTRIACÆ celebreris  
LEOPOLDVS Pius, Felix, Gloriosus.*

*Ita vouet*

# SERENITATIS VESTRÆ

Cum Inclÿta Facultate  
Theologicâ

*Deuotissimus*

P. F. NICOLAUS DONELLANUS,  
Ord: S. Aug. Eremit: Magister, SS.  
Theol: Doctor, & p. t. eiusdem Facul-  
tatis Decanus.



**A** Des iterum Augusta Austria  
ut illibatæ Virgini post saxæas ere-  
ctas moles , æternos amoris tui  
obeliscos, post assertam commu-  
ni sapientum suffragio , sine labe  
Conceptionem , indelebiles Augustæ pietatis ta-  
bulas, post institutam per hæreditarias Pij Iustiq;  
Cæsaris Provincias festivam diem , serenissimæ  
gloriæ non occasuram lucem , annuos ad aras , in  
pulpitis, in foro honores hodiè decerneres. Osten-  
sura, si benè te novi nunquam pietate & justitia  
Regna firmari solidius, quàm dum adamatur illa,  
cujus filius Petra est: Vel certè ut pro D E O ar-  
denter, pro populo fortiter, orbi invicta, Augusta  
semper stares Austria eam à te annuis colendam  
fuisse honoribus , quæ charitate simul ignita, &  
turris esset, è quâ millè clypei in subditorum præ-  
sidium dependerent : Aut deniq; pronuntiatura  
palam, candida ipsa cum sis, nolle te aliter à tuis  
M A R I A M coli, quam sine maculâ, hanc ut tecum  
A 3 prono

prono adorarem nutu Cliens devotissimus, non ut officiosè laudarem, intempestivus orator accessi. Quid enim de eâ loqui præsumam, cujus glorias enarrant cæli? num illius encomiasten agam, quam astra laudant matutina? an eam dicendo assequar, quæ omnem transcendit creaturam? non agam id, Austria, non agam; sublimiorem dicendi requirit facundiam, quæ suum in nubibus thronum collocavit. Divinam sui exigit laudatricem linguam, quæ abbreviato in **V E R B O** totam æterni Patris conclusit Sapientiam. De illâ velle verba facere otiosum est, quæ sola orbi **V E R B V M** protulit pro dignitate; illius argumentis extollere sublimitatem temerarium est, quando Bernardino teste vel ipse **D E V S** maiorem facere non potuit. Adhuc tamen reluctantem impellis, & penè nolentem cogis Oratorem. Nimirum, **Ô Austria, M A R I A** tibi Oceanus est, huc cum Istro tuo deproperas: Polus est, ad hunc Austri magnetica amoris acus irrequieta convertitur: Campus est, frumentum electorum progerminans, in hoc alaudæ tuæ delitiantur. Agnosco; at quid dicam? solumnè Creatore dignum opus appellabo **M A R I A M**? nihil novi dico, hoc de illâ jam pridem pronuntiavit Damascenus. Venam nuncupem, per quam gratiarum emanant flumina? vetus elogi-

um

um est: hanc salutavit Bonaventura. Mundi centrum afferam, ad quod omnium amores, velut lineæ contendunt? verum & hoc jam olim de Virgine sensit Richardus. Age porro, si ita tua urgent imperia, anhelant desideria, age omnis humanitatis altrix, alumna Pacis, felicitatis sinus, Majestatis solium, Romani Imperij cor, fœcunda Regum mater, Augusta Cæsarum procreatrix Austria: & cum nihil novi de illibata Virginis Conceptione à me dici posse intelligis, quam primò formosam spectasti in Iride, candidam dein adamasti in Columbâ, Immaculatam hodie in Speculo intuere. Nihil novi dico: nam si meministi, ipsa hæc Iris, quam ingeniosè dilaudatam oculis tuis subiecit Orator, Philosophis solis speculum est: & Turturis tui oculi, qui tantoperè Amoris armis cor vulnerarunt, Sponso quoque genuina Naturæ specula sunt, dum piscinæ in Hesebon appellantur. Atq; sic demùm ubi in Speculo Immaculatam exhibuero Virginem, veniã tuã perorabo.

Dic ergo mecum, Austria, MARIA speculum est. Cui dum comparo, faceffant volo delineata Aegyptiorum specula, infamis Veneris Hieroglyphica: de illâ loquor, quæ Divo Zenoni florētissimum Castitatis domicilium est. Nolo  
Ho-

Hostij in ædibus disposita omnem in partem specula ; hoc est vivas vitiorum imagines intueri, dum in illâ oculos converto, in quam desiderant Angeli prospicere. suo cruentus Nero in smaragdo sanguineas gladiatorû pugnas speculetur, ego in M. A. R. I. A. castrorum aciem admirabor, inscribat Pythagoras humano sanguine speculo Tyrannidis testes literas, quas dein in aversâ lunâ repræsentet, ego in illâ quæ tota pulchra ut luna est, expressam lego humanitatem. Neque ea me hodiè tanget superstitiosa pietas ut Aegyptiorum in morem ante aras constitutus, dextrâ fistrum, sinistrâ speculum præferam, quo dubios rerum eventus indagem; aut ad Achaiaë fontem Cereris vicinum delubro immisso speculo morborum explorem discrimina, nolo enim à scoriâ aurum, à cortice nucleum, ab umbris lucem, à nocte diem, à fabula denique mendicare veritatem, dum veriùs in speculo meo & indubiam infirmorum salutem & recondita sæculorum mysteria comprehendo, hoc magis mihi curæ est, ut dum ad speculum in ornandis Earini comis amorum mater occupatur, mea in speculo exprimendâ Matre pulchræ dilectionis, occupetur oratio. Et quidni M. A. R. I. A. M. speculum appellem? nam si illo perimitur basilicus, àb hac serpentis caput conteritur: si speculi



culi beneficio intempeſtâ nocte ad reflexum fide-  
rum lumen epistolâ legimus: M A R I A illud ſpe-  
culum eſt, cujus beneficio, dum nox iter teneret  
medium, illam cœlo demiffam Orbis legit ſalutem  
in V E R B O, quod factum eſt, quod fecit Domi-  
nus, & oſtendit nobis. Si ſolares radij à lunari cor-  
pore, velut è convexa ſpeculi ſuperficie in nos de-  
rivantur; iterum dico, M A R I A M hoc ſpeculum  
eſſe, dùm luna eſt, per quam ad nos ſplendor æter-  
næ gloriæ è ſinu Patris eſt derivatus. Quod ſi e-  
tiam Mathematici impoſito aquis ſpeculo Solis  
obſervant deliquia; aſſero ego, nunquam magis,  
dierum omnium Solis orbẽ notâſſe eclipſim, quam  
ubi ad Calvariæ ſcopulum lachrymarum innata-  
vit oceano M A R I A. Si denique Geometris ſub-  
terraneorum fluminum altitudinem explorat  
ſpeculum; concludere illud convenire M A R I Æ,  
ſine quâ eſſe non voluit, qui æthera firmabat ſur-  
ſum, & librabat fontes aquarum. Tritum eſt,  
Archimedis ſpeculo Romanam inter undas claſ-  
ſem conflagraſſe: notiſſimum à Virgine prodijſſe,  
qui ignis conſumens eſt. Vulgare illud, conſpe-  
ctum in oleo faciem videri amabiliorem; com-  
mune etiam M A R I Æ elogium eſt, Matrem eſſe  
amabilem, cuius nomen oleum effuſum: Decan-  
tata fabula eſt, Narciffum ad illi me fontis ſpecu-  
lum

lum propriâ naufragum pulchritudine in flor em  
revixisse: ipsa veritas est, speciosum præ filijs homi-  
num in Virgine, amore, si ita loqui fas est, sui, dum  
nostri perijt, naufragum in florem campi transijf-  
se. Illud fortassis insolitum erit magis, ad Fortu-  
natas Insulas puteum inveniri, cui si speculum ap-  
posueris, in eo cum urbibus Provincias, cum Pro-  
vincijs, Regnâ, cum Regnis Imperia, cum Imperi-  
js populos, cum stellis lunam, cum lunâ demum  
solem uno obtutu licebit intueri: nihil tamenâ  
Virgine mea alienum, quin illam ipsi huic speculo  
anteferam, dum DEVS, & natura rerum omni-  
um compendium in MARIA expressit. Solem  
in hoc speculo quæritis? hoc illa amicta est: lunam  
desideratis? sub pedibus habet: stellas suspicitis?  
his coronatur: terram lacte, & melle fluentem in-  
quiritis? terra promissionis est: viridaria exposci-  
tis? Paradyfus voluptatis est: urbes indagatis?  
urbs refugij est: aurum appetitis? caput ejus au-  
rum optimum: mare amatis? pelagus gratiarum  
est: gemmas scrutamini? in oculis adamantes, in  
dentibus uniones, hyacinthos in manibus, in pe-  
ctore smaragdos, in animâ Virginis carbunculos  
deprehenditis. Tota denique, repeto, MARIA  
speculum est. Cujus si formam anhelatis; planum  
dicite, & humilem Virginem delineastis: in or-  
bem

hem formatum asserite; & ejus, quem totus non capit orbis, Matrem adumbrastis. Authorem verò ne quærite: non est argenteorum inventor speculorum Praxiteles: Altissimus fundavit illam. Quæ speculū terminet, umbram in Virgine nō desiderate; satis illud virtus altissimi obumbravit. Ad ejus demum coaluisse flammæ MARIANVM pronuntiate speculum, qui suam in MARIA ordinavit charitatem. Hinc si speculum crySTALLUS animata est; Amor animavit, quo vixit dum languit MARIA. si illud nativa solis imago est; Amor penicillus fuit, quo in speculo suo apparuit Sol Iustitiæ. si flammæ sagittat speculum; Virginis oculus telum erat: hoc ab amore Sponsi cor vulneratur. Si corpora replicat; Amor illas in Virgine efformavit voces: Dilectus meus mihi & ego illi. si similitudinis Pater est; Amore genitum adoremus in similitudinem hominum factum, quem cooperante Spiritu Sancto conceptum non ignoramus. Verbo, si speculum capax omnium colorum tabula est; Amor profectò in hac pictorem egit, cujus manu Divinissima Trias vivis, ut ita loquar, delineata coloribus in MARIA orbi apparuit. Nam ut de Patre sileam, cui Basilus MARIAM aiebat propinquissimam similitudine, dignitate, familiaritate, naturâ, veritate; de Filio sanè

fanè dubitare non audeo, dum intemeratam Vir-  
ginem Speculum sine maculâ Majestatis DEI, &  
imaginem bonitatis illius divino pronuntiariora-  
culo intelligo. Imò non vereor liberè (sit verbo  
venia) hodiè pronuntiare; non magis in cœlo Pa-  
tri, quàm in terris Matrì Filium similem extitisse.  
In cœlo de Patre dicitur: Magnitudinis ejus non  
est finis: de Filio asseritur: Magnus est, & fines non  
habet. In terris humano circumscribitur cor-  
pore Mater; Filius habitu invenitur, ut homo. In  
cœlo immensus Pater, cujus sedes cælum, scabel-  
lum terra: Immensus in cœlo Filius, cujus vox est:  
Coelum, & terram impleo. In terris Ierosolymâ  
expellitur Mater: Filius locum non habet in diver-  
sorio. Ancillam se Mater profitetur: Filius for-  
mam servi accipit. Æterno Patre in cœlo genitus  
in terris nascitur ab illa, quæ ab initio, & ante sæ-  
cula creata est. Patris ab ore procedit Filius: Mater  
à quâ nascitur, ex ore Altissimi prodijt primogeni-  
ta ante omnem creaturam. Filius cum Patre ap-  
pendit fundamenta terræ: Mater cum eo erat  
cuncta componens. O viva in cœlo Patris, ô ge-  
nuina in terrâ Matris àb amore in MARIÆ spe-  
culo expressa imago Filij! ô nobilem amoris pe-  
nicillum! qui ut ternas Divinitatis exprimeret  
personas, hoc uno in speculo adumbravit: Qui e-  
nim

nim depinxit cum Patre Filium, Divinum expref-  
fit Spiritum, dum in Matre Misericordiæ Patrem  
Pauperum, in stellâ matutinâ lumen cordium,  
confolatorem in spe nostra exprefsit: ut verè M A-  
R I A effret Speculum sine macula Majestatis D E I,  
& imago bonitatis illius.

Et hoc speculum est Tuis à me hodiè honori-  
bus, Augusta Austria, Tuis in Virginem amoribus  
consecratum anathema. Si auget; tuæ omen est  
gloriæ; hoc cresces. si flammâ recipit, ut accendat;  
post tetram bellorum noctem serenam pacis di-  
em parit: in hac regnabis. si radios colligit, ut dif-  
fundat; tuæ iter demonstrat gloriæ, Plus ultrâ. Si  
solem admittit, ut illuminet; te petit: in lumine  
vultûs tui ambulabunt gentes. Admittè ergo  
Speculum hoc Tuum, Austria, & si flammâ in te  
vibret, patere: faces sunt, ad quas seri Nepotes per  
Avorum vestigia viam ad Imperia invenient. si  
radios inte spargit; sine: ne aliud dein Orbis ado-  
ret diadema, quàm Austriæ Serenissimum. Neque  
pæniteat MARIAM in speculo adamasse, dum  
illud Friderico Cæsari mentem aperuit, ut plures  
videret victorias; dum inter prælia excussum ocu-  
lum ostendit: videbis enim uerò & tu pro D E O,  
& Populo, Pietate & Iustitia legitimè certanti in

MARIANO Speculo augustas coronas, debita  
Pietati præmia exhiberi. Age ergò, si ita lubet,  
novos Intemeratæ Virgini Colossos statue: hi lin-  
guæ sunt; his loquimur æternitati. Nova ad aras  
excita incendia: hæ flammæ sunt; his posteros in-  
flammas. Novas fanci festivas dies, ut tibi  
sine Martiâ nube dies, semper vigeat serenissima.  
Hoc enim coronidis loco tibi ominor, fore ali-  
quando, ut cum Amore Virginis gloria tua tantò  
amplius secuturis annis sumat incrementum;  
quantò magis te ad Speculum hoc Tuum fa-  
ctam te totam Austria videbis esse,

MARIANAM.

D I X I

